

Rector & Concilium Universitatis Studiorum Rostochiensis, Academicae Iuventuti Bono Reip[ubli]cae & Eccl[esi]ae Consecratae ...

Rostochii: Kilius, 1656

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn757432239>


Druck Freier  Zugang




216. 7h. > *Phil.* - 157 (2.)
Phil. - 157 (2.)

- (17) 1. G. C. Rapp J. Stadt Rostock Namen Kladderordnung. 1587.
Rostock (1587)
2. G. C. R. ... Kladderorte u. vorbuss. Kladderordnung. 1591.
3. Revidierte u. Vorbesetzte Folgezeit u. Kündelbiers Ord-
nung ... 1591.
- (20) 4. G. C. R. ... Ordnung von Einküffung der Actualien
u. andern Plätzen ... 1601.
5. Rector et Concil. Acad. Rost. civibus acad. ... salutem ...
Rostockii 1656, 4. Jul.
6. Consules et Sen. R. R. scholae suae rectori, magistris
... S. [Leges scholae] (1583).
7. G. C. R. ... Rev. Kündelbiers u. Kündelbiers Ordnung ... 1605.
8. Unterricht, welcher gesall der Jahre 1615 u. 1616 Fahren ...
eingewilligterhalb Fündersper Pfennig ... 10. Juli.
- (25) 9. Raysen Rudolphi der Andron etc der Universität zu Rostock
u. vortrefflicher Witz u. Wirtum-Brief ... R. 1657.
10. Wesphalen. v. l. e. a.
10. G. C. R. ... Rev. Vorbesetzung, Folgezeit, Kündelbiers, Be-
gründung u. Funder Ordnungen, R. 1617.
11. G. C. R. ... Rev. Ordnung von Rathhause u. Rathhöggen
... publ. d. 20 Apr. A. 1618. R. 1629.
12. G. C. R. ... Passortordnung ... R. 1624.
- (20) 13. G. C. R. ... Rev. Vorbesetzung, Folgezeit, Kündelbiers u. Kli-
der Ordnung. (R.) 1625.
- (30) 14. Unterricht oder Vertheidigung, welcher gesall the in die Jahre
1627. Fahren ... eingewilligterhalb Fündersper Pfennig ... 10. Juli
... 1627.

15. Krappens Ferdinandi des Dritten etc. auff verpfaßiges außsehen
Rectoris et Conc. d. U. z. R. an Bürgermeistern u. Rath verfaßt
abgegangen Citatio ... (R. 1639.)
16. .. Briefs der löbl. Universität in Rostock wegen abspaffung
.. der Klosterwey u. Penalismi ... In Dreyßig Graue versch.
u. in Druck gedr. Hans Joach. Schröderum. R. 1641.
17. Programma quo Ricti et Sen. Univ. Rost. societates nationum
... retant et interdicut. R. 1642.
18. Rict. et Conc. .. acad. juventuti .. salutem omnigenam.
Rost. 1656. [Verbot des Degentragens]
19. Rev. Ordnung d. R. .. daruuf folgende Jungfer u. Parpuren
.. sich zu wissen haben sollen. (R. 1655.)
20. G. f. R. ... Articulö-Brief, wie et wie befallung der Pag.
Kauffmaje gehalten werden solle. R. 1659.
21. Introductio Consistorii Rostoch. ... Anno 1669. [Nass]
22. Rev. Ordnung .. welche die unordentliche Judent Einwohner z. R.
man zu vor G. f. R. gefordert worden, in derselben Kaufplä-
gen u. Notizen je halten, bewilligt u. angenommen. R. (1670.)
23. Des selben. gedruckt i. D. 1748.
- (W) 24. G. f. R. ... Für-Ordnung, A. 1678. R. 119.
25. G. f. R. ... Unordentliche, wie et .. mit den folgenden Sief-
gefußt gehalten werden solle. R. 1684.
26. Der auff der Univ. Rostock angelegte Wittman-Käffen ..
Nach einem Discursu Ab. Joach. v. Kirchensitz ... Rost. (1707).
27. Reglement, wiewu die die Compagnie Verwandten der .. Leuten
Waffs bei der wie unwilligen Societät u. Fotzen-Ordnung zu R.
unmöglich. .. R. 1713.
- 27^a Des selben. R. 1746.
28. Puncta der Neuen Brand-Indemnisations-Compagnie ...
R. (1722)
29. G. f. R. ... Ordnung, wie et zu Reverminde mit fin.
Außbringung fremder Waffen .. gehalten werden soll. R. 1729.
30. Mafsen Abdruck Jesu von ... Paul J. Kuffen Allergnädigst
bestätigten Privilegien der Stadt Rostock. A. 1733.





RECTOR

34

18

CONCILIIUM
UNIVERSITATIS
STUDIORUM

ROSTOCHIENSIS,

ACADEMICÆ
JUVENTVTI

BONO REIPUBLICÆ, & ECCLÆ. CONSECRATÆ

DEUM PROPITIUM,

CONSCIEN TIAS PURAS,

ANIMUM COMPOSITUM,

STUDIA PROSPERA,

FAVORES COPIOSOS,

SALUTEM OMNIGENAM,

DNO. JESU PP.

✽(O)✽

ROSTOCHII, Typis Heredum NICOLAI KILII,
Acad. Typog. Anno 1656.

42

IESU Filii Dei vox gravissima est, quam spectator auditorq; gestorum ultimorum e quatuor viris Evangelicis S. MATTHEUS annotavit Cap. XXVI. 52. πάντες οἱ λαβόντες μάχαιραν, ἐς μάχαιρα ἐπιλήνται. In quinq; Codd. MSCris legitur, ἀποθανένται, inquit Beza in annot. h. l. Notat hoc etiam Rob. Stephanus in edit. Paris. & Nic. Bryling. edit. Basil. & sic legitur in editione Genevensi cum notis J. Scaligeri. Vulgatus habet: *Omnes, qui gladium acceperunt, gladio peribunt.* Tertullianus *de Corona Militis* cap. XI. ita vertit. *Qui gladio usus fuerit, gladio peribit.* Hilarius *Comm. Matth. Caneone* 32. ita reddit. *Omnes, qui gladio utuntur, gladio peribunt.* Augustinus *Tom. 4. Oper. de Consens. Evangelist. lib. 3. cap.* conjungit Vulgatam & Tertulliani translationem, cum ait: *Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt, id est, qui usi fuerint gladio.* Auctor qq. V. & N. T. (qui extat inter opera Augustini Tomo IV. Augustini autem non esse creditur à Claudio Espencæo *Comm. 2. ad Timoth. cap. 2. de Chr. Mediat.* Alfonso à Castro *lib. adv. heres. 10. ad voc. Melchisedec.* Archangelo Roccha *Epit. Bibl. script. p. 32. Joh. Maldonat. ad Joh. 8. 41. Alf. Salmeron in epp. Pauli disp. 19. Ben. Pererius ad Rom. 3. disp. 6. & aliis. Conf. Rivet. Critic. f. lib. 4. c. 13.*) q. 104. col. 794. ita vertit: *Omnis, qui gladium accipit, gladio peribit.* Augustinus ipse *contra Faustum Manich. lib. 22. C. 70. T. 6. op. col. 439.* rursus ita reddit: *qui gladio usus fuerit, gladio cadet.* Juvencus Presbyter Hispanus, qui vixit tempore Constantini anno Chr. 330. *Histor. Evang. lib. 4.* ita carmine expressit: *Quicumq; ferox confidis vindice ferro, Hunc iusti similis ferri vindicta manebit.* Syri Paraphrastæ verba reddit tam Tremellius & Junius, quam Trostius sententia.

Vulgatæ

Vulgaræ. Historia Christi Persica, quam
 Indor. Imp. Hieronymus Xavieri parti. 3. p. 453. ex transl. Lud. de Dieu
 ita habet: *Quicumq; gladium impellit, gladio peribit.* Antiqua Ger-
 man. MSera habet: *Alle da die entspahent das Wassen/ die verderbent
 mit dem Wassen.* B. Lutherus: *Wer das Schwerdt umbfommen/ sol
 durchs Schwerdt umbfommen.* Dietenbergius Pontificus ita: *Wer
 das Schwerdt nimmet/ der sol durchs Schwerdt umbfommen.* Joh.
 Piscator ita: *Alle die das Schwerdt nemmen/ sollen durchs Schwerdt
 umbfommen.* Italica Geneuensis Joh. Diodati ita habet: *Tutti co-
 loro, de hauranno presa la spada, periranno per la spada.* Gallica Ge-
 neuensis ita habet: *tous ceux qui auront prins l' espee, periront par l'
 espee.* Anglica A. 1629. *all they that take the sword, shall perish
 by the sword.* Belgica edit. Harling. A. 1582. *Wie dat Schwerdt
 nemmt/ die sal door dat Sweerdt vorgaen.* Seb. Castalio habet:
Omnes, qui gladio uruntur, gladio peribunt. In loco parallelo Apoc.
 13. 10. ita exprimitur Christi assertio **קִי לֹא יִשָּׁרְפוּ בְּחַרְבָּתָא וְיִמָּוֶתוּ**
וְיִשָּׁרְפוּ בְּחַרְבָּתָא וְיִמָּוֶתוּ si quis (ita vertit Lud. de Dieu, qui ex
 MSero Josephi Scaligeri edidit) *gladio occidit, oportet eum gladio oc-
 cidi.* Textus originalis habet: *εἷς ἐν μαχαίρᾳ ἀποκταθήσεται, δὲ
 ἀποκτῆται ἐν μαχαίρᾳ ἀποκταθήσεται.* Verba, inquam, ista sunt JESU
 Filii Dei, adeoq; ex SS. Trinitatis decreto pronunciata, citra excepti-
 onem summa, irrefragabilia, immutabilia, duratura semper, obedi-
 entiam postulantia, inobedientes tandem coram tribunali Dei gra-
 vissimè oburgatura & confusura. Protulit illa Salvator ex anti-
 quissimo archivo divinorum decretorum *Gen. 9. 6.* ubi ille tanquam
 scaturigo benedictionis super Noachum, effundendæ ita loquitur:
Qui effundit sanguinem hominis, per hominem sanguinis illius effunditor.
 Protulit illa in arduo redemptionis nostræ negotio consummando
 occupatus, sanguinariî consilii Sacerdotum, contra se gnarus, pa-
 cti à Juda proditore inti cœlestis inspector. Protulit illa ab in-
 comparabili & imperferutabili horrore meroreq; vix eluctatus, su-
 dore sanguineo adhuc perfusus, & grumis cruoris in terram deciden-
 tis circumquaq; madidus. Perpendamus ista, vel solius hujus sum-
 mi momenti causa. Nihil enim tunc Salvator locutus est, quod non
 magni esset ponderis. Quos designat Salvator, quæsit? *μαχαίρας*
ἀπίστας

... *μαχαίρα*. Quid *μάχαιρα* ē
 inouitur tonsoribus & chirurgis. Hinc apud Julium Pollucem *lib.*
 2. *Onomast. cap. 3.* de comptis dixerunt Comici, *μαχαίρα διπλή* *μά-*
χαίρα duplici tonderi (ut verit. Wolf, Seberus) novacula. Et
lib. 10, cap. 31. Tonsorū, inquit, *instrumenta sunt* *πέδινα*, *novacula*,
μάχαιρα, *μαχαίριδες*, cultri, cultelli. Nam in Cratini Dionysalex-
 andro didum est: Inerant v. illic *μάχαιρα μαχαίριδες* cultri tonsorij,
 quibus tendentur oves & greges. Inter culinaria etiam, seu po-
 tius mensae instrumenta, ut sunt lingulae, mystalaria, cochlearia, no-
 vaculae enumerantur ab eodem *l. 10. c. 23.* *μάχαιρα*, *μαχαίρα* ἢ
μαχαίριδες, cultri, cultelli, aut gladioli. Inter arma autem censeo
μάχαιρα *lib. 1. c. 10 p. 37.* cum ait: *Manuum munimenta*, similiter
 membro, manu dicuntur, *ξίφος*, *μάχαιρα*, *εγχευρίδιον*, ensis, gla-
 dius, pugio. Vid. *ibes. H. Steph. T. 2. p. 816. & f.* Glossa Vetus.
μάχαιρα τὸ παρωμύριον, *sica*. Derivant a *μάχμας*, seu *μάχη*.
 Eustath. Thessalon. putat ductam ἀπὸ τῆς *μαίρα* ἀμαίρα, ut *μά-*
χαιρα sit q. ἀμύχαιρα. Apud LXX. Interpp. *μάχαιρα* nunc
 respondet Hebraeo *כַּלְדַּיִם* quod est *culter*, *ensis*, *Gen. 22. 6. 10.*
Jud. 19. 29. Prov. 30. 14. *כַּלְדַּיִם* quod est *ferrum*, *Es. 10. 34.* *כַּלְדַּיִם*
 quod est *gladius*. *Ezech. 26. 15.* *כַּלְדַּיִם* quod significat *hastam*,
hastile, *lanceam*, *pharetram*, *rompheat*, *ensem*, *2 Par. 23. 9. Job. 39. 23.*
כַּלְדַּיִם quod est *gladius*, ab exiccando, quia exhaurit humanum san-
 guinem. *Gen. 27. 40. c. 31. 26. c. 34. 25. c. 48. 22. Ex. 15. 9. c. 17. 13. c.*
20. 25. & alibi plusquam centies. *כַּלְדַּיִם הַיּוֹנָה* apud LXX. est
μάχαιρα ἑλληνική *gladius Graecus*; rectius, *gladius iste vastator*, seu
opprimens. Respondet etiam *כַּלְדַּיִם* quod est *flamma rutilans*, *splen-*
dens, & per translationem *gladius strictus*, *albicans*, *nitidus*, *Job. 39.*
23. Sant. Pagnin. vertit, *ferrum*, & *כַּלְדַּיִם* quod est *lis*, *pugna*, *gladius*.
 Hoc loco sumitur pro eo armorum genere, quod a latere pendu-
 lum in defensione aut pugna stringitur, pro gladio, qui & nunc
 varius est, & omni aevō variabat. Hoc vero ad Hoplographiam
 pertinet. (Ita Cornel. à Lap. Comm. ad *Matth. 26. p. 499.* rem istam
 recensuit & definiuit: *S. Petri gladium fuisse cultrum, quo in ma-
 chatione*

tionem vel comestione agni usi fuerunt Apostoli, censet Toletus in Joh. 18.
10. Favent S. Chrysolomus, Theophylact. Joh. Major, Janfenius in
Matth. 26. Cultro enim secantur carnes & amputantur auriculae. Dubi-
tat Dionysius Carrhusianus. Et Venetiis offenditur hic gladius, exhibens
speciem magni cultri. Senis quoque similis asservatur. Verum gladium
hunc enssem fuisse disertè afferit Franciscus Lucas in Matth. 26. Favet S.
Cyrillus, S. Augustinus, Tertullianus, Hilarius, Hieronymus, Beda,
Baronius, S. Ambrosius: & ita ostenditur hic gladius S. Petri Parisius
habens speciem ensis. Tanta est certitudo reliquiarum! Ridiculas au-
tem rationes, quas pro ense, non cultro, à Christo reprehensio pro-
lixè deblaterat Cornelius, piget adscribere.) Quid verò λαμβά-
νειν? Non notatur certè h. l. λήψις simplex & indifferens. Nam
& quando ἐξουσία ὑπερέχουσα potestas supereminens sive Magi-
stratus Φορέα portat gladium, sumit illum, accepit illum, sed à
Deo, cujus διάκονος minister est, Rom. 13. 4. Notatur igitur sumtio
gladii inordinata, indebita, violenta, de facto, non de jure. Ita
λαμβάνειν pro non jure, non competentè, non ordinatè sumere
usurpatur Matth. 5. 40. ubi χιτῶνα λαμβάνειν est auferre contra jus
tunicam. λαμβάνειν δὲ λῆς & filium Domini vineæ Matth. 9.
35, 39. est violenter, nefariè, iniquè arripere, apprehendere. Idem
est ac λαμβάνειν διὰ χειρῶν ἀνόμων, Act. 2. 23. & ut ad Hebr. 5. 4.
usurpatur, λαμβάνειν ἐαυτῶν pro arbitrio, sua autoritate, nul-
lo legitimo imperio sumere. Quo sensu Johannes Baptista Joh. 3. 21. ait:
Non potest (sc. jure & competentè) quisquam quidpiam sumere, nisi ipsi
datur sit è caelo, h. e. à legitima superiori potestate, quæ conferendi &
dandi autoritatem ac vim habet. Itaque λαμβάνειν μάχαριον
primò & immediatè h. l. designat sumtionem gladii ad usum indebitum
& illegitimum. Talis namque apparuit in Petro. Is existimavit, Jesum
Magistrum suum gladio posse defendi contra vim irruentem. Grandis
& temerarius error! Magister in lucta apud Deum occupatur, immi-
nentes angores, doloresque deprecatur, ad hostium adventum se sistit,
verbo prostermit, prostratis jam dum se offert, ipse accepturus procul
dubio aliquem gladium, eumque fortiter & validissimè in hostes strictu-
rus, si id permisisset vocationis ratio. Discipulus, non advocatus,
alta consilia non Magistri intuitus, non æstimato irruentium numero,
nec

nec viribus presentibus ad eum comparatis, cæco impetu atq; incon-
sulto stringit gladium, & pugnare audet. Non meminit, se, sanctæ
theologiæ & admirandæ passionis **STUDIOSUM**, nunc magis in
sudorem Jesu sanguineum, quam in cruorem hostium medicandum
esse debere. Hanc itaq; illegitimam usurpationem gladii in Petro re-
prehendit Christus. Nonnulli pessimo sine Petro patrocinantes, non
ad Petrum absterrendum ab ulteriori pugnae prosecutione verba ista
dicta tradunt, sed de Romanis satellitibus accipienda putant, quasi
diceretur: Noli Petre ipse amplius pro me pugnare. Romani namq; isti
milites, qui strictis me nunc irruunt gladiis & sine causa læviunt, uni-
versi gladio peribunt. Hæc conantur Theophylacti & Euthymii
verba detorquere. Adamus Conzen. *in h. l. quest. 1. p. 539.* Itacuit, *Chri-*
stum non indicare Petro, eum peccasse, sed periculi imminentis admonere.
q. d. Tu gladio rem geris. An ignoras ergo legem Romanorum, qua sanc-
tur capitali pœna apparitorum & magistratuum auctoritas, ut sine ulla spe
venie moriatur, si quis gladium in ministros magistratus strinxerit: nec eo
in casu de jure queritur, sed factum continuo puniatur. de legibus verò illis
multa passim occurrunt & lege majestatis totum hoc continetur. Nam
etiamsi de jure loquamur, opus est restrictione aliqua, sicut omnes neces-
sario faciunt. Qui verò eam negligunt, in hæresin Tertulliani impingunt.
Ille libr. de Idolatr. c. 19. inquit. Quomodo autem bellabit, imo quo-
mòdo etiam in pace militabit sine gladio, quem Dominus abstulit
Nam si & adierant milites ad Johannem, & formam observationis acce-
perant, si etiam centurio crediderat, omnem postea militem Domi-
nus in exarmando Petro discinxit. Nullus habitus licitus est apud nos
illicito aetui adscriptus. Et libr. de corona militis c. 1. Gladium nec do-
minicæ defensionis necessarium credidit. Hinc omnium eorum, qui Pe-
trum peccasse ajunt, est sententia, eum idè reprehendi, quod privata au-
toritate acceperit gladium; idè periturum. simplex mihi sententia videtur,
qui gladium contra Romanos ac Magistratus templi acceperint, se tueri non
poterunt, fortiori succumbent inferiores. Si n sensus est, quem auctores
illi asserunt, jure morietur aut morte dignus est; duram admodum senten-
tiam in Petrum pronunciat: nempe, jam morte dignus es, dignus quo cum
legègatur. At Petrus eo modo non est interpretatus, nec pro illo scelere
magno opere videtur doluisse. Fuisse autem grave & morte piandum, si ho-
rum verè est sententia. Hæc & alia multa Conzenius S. 3. 4. 5. differit.
Tandem

Tandem §. 6. concludit, & penitus ferè absolvit Petrum. Cum, inquit, Petrus Christum liberum esse à tributo didicisset, cum omnia esse in ejus potestate non dubitaret, rectè judicabat, nullam Magistratus in illum esse potestatem, qua minima res Domino imperaretur. Non igitur in legem Majestatis commisit, sed improbi servuli Dominum majestatis offenderunt potestate abusi; Petro Regis æterni Ministro ultionis ansam dederunt. Quemadmodum igitur licitum est innocentem defendere contra Magistratum, cujus à sceptro defendendus & liber est, ita & Christum defendere contra alienorum injuriam laudabile fuit. Hinc Cyrillus lib. II. in Joh. c. 13. Petrus gladium habuit, quia secundum se gladio defendere licebat. Unde intentio Petri, qui gladium adversus hostes accipit, à mandato legali non fuit aliena. Motum autem ejusmodi docet Christum represisse, quamvis secundum legem fuerit, qua à perfecta virtute longè aberat. Hæc Conzenius Jesuita, qui & addit: S. Ambrosius in Luc. 22. etiam factum commendat. Petrum in lege eruditum promptum effectum, qui sciret Phinees reputatum ad justiciam, quod sacrilegos peremisset, percussit servum. August. 99. V. c. N. T. g. 104. Petrum negat injuste plagam intulisse, quia significatur in Luca Domino permittente fecisse. Dicitur a. illi, qui accipit gladium, gladio peribit, ne iterum percuiret. Quod putat, à Luca in sinuari permittente Domino factum, id mihi admodum probabile viderur. Namerum viderur. Dominus studio non respondisse, donec factum vulnus fuisset. Sed revera Conzenius h. l. Maldonatum norat è societate sua magni nominis virum. Ità n. ille Comm. h. l. Mirantur quidam, quid cause sit, cur Petrum Christus reprehenderit, cum vim vi repelleret, idq. ut magistrum defenderet, quod & naturali & divino & humano jure licere creditur. Augustinus 99. V. c. N. T. g. 104. putat, Petrum non fuisse reprehensum, quod servi Pontificis auriculam abscidisset, id enim Christi permisso fecisse existimat: atq. hoc verbum illud apud Lucam cap. 22. v. 51. significare, finite usq. huc, quasi dicat; sufficiat auriculam servi Pontificis abscidisse. De cetero mitte gladium in vaginam, quod ait Johann. cap. 18. v. 11. quia omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt. sed admonere tantum Petrum arbitratur, ne ultra pugnet. Vorum tamen manifestum est, Petri factum à Christo reprehendi, ut ne disputari quidem debeat. Cur ergo reprehenditur? Primum, quia illa non erat defensio quid enim unus homo contra cohortem unam fecisset? nisi milites irritaret, ut crudelius tractarent Christum. Deinde, quia non expectato Christi responso gladio percusserat.

Posire-

Postremo, quia etiam si posset, non debuit tamen Christi mortem impedire
 sicut Christus ipse poterat duodecim legiones angelorum à Patre petere, qui
 se defenderat, sed maluit Patris parere voluntati & Prophetarum implere
 vaticinia, quam rationem Christus h.l. reddit v. 53. & 54. & Joh. 8. 11. Sicut
 simili de causa Petrum reprehenderat, Matth. 16. 23, quia voluerat eum à
 suscipienda morte dehortari. Cur ergo Christus generalem citat legem?
 Quia ubicumq; exceptio locum non habet, lex locum non habet. Et non ha-
 bebat exceptio locum in Petro, qui bono quidem animo, sed quo loco &
 tempore non debuit, gladium accepit. Et Seb. Barrad. Concord. Evangel.
 T. 4. lib. 6. c. 17. n. 10. Verisimilius cum Theophylacto se dicit arbitrari,
 Dominum his verbis Petro legem proposuisse, quæ de homicidii ferri solet.
 q. d. O Petre, reconde vagina gladium. sic n. lege statutum est, ut omnes ho-
 micidæ vita priventur. Alf Salmeron. T. 10. Comm. in N. T. tract. 17. p. 149.
 Petrus peccavit I. quia à Christo verbis & facto sanandi fuit reprehensus II.
 quia nec iudex erat, nec à iudice potestatem habebat, sed propria autoritate
 assumpsit gladium III. quia & si à Christo petierit facultatem percutiendi,
 non tamen expectavit responsum præ impatientia, sicut caro impetu quodam
 ruit in vitia, non expectans iudicium rationis, nedum voluntatem Domini.
 IV. quia illa Petri audacia & confidentia potius fuit carnalis & humana,
 quam ex fide profecta Nam illa audax est, quamdiu adhuc videt in Christo
 divinam potentiam: at ubi paulo post virtutem suam abscondit, cessavit Petri
 fortitudo. Ideo ex fide omnino non processit hæc Petri audacia, aliqui
 etiam in adversis perdurasset. V. quia defecit hæc Petri defensio in fide.
 quia si Christum credidisset Deum, putare debebat, quod non ei opus erat
 sui defensione. VI. quia deniq; hæc defensio contra voluntatem Christi ac-
 ceptantis calicem erat, contraq; definitionem scripturarum &c. atq; hanc
 sententiam etiam amplectitur Augustin. Tom. 9. tract. in Joh. 113. Liber 2.
 qq. V. & N. T. non est, ut notavimus, Augustini. Talia scribit etiam
 Cornel. à Lapide Comm. h.l. & Hugo Grotius de Jure belli & pacis lib. 1.
 c. 3. n. 3. Conzenii pro Petro extra culpã graviolem collocando dictæ nul-
 lius sunt ponderis. Nam 1. non est absurdum dicere, S. Petrum aliquid
 morte dignum commisisse. Abnegatio, qua se postea commaculavit,
 plus criminis & pœnæ importat. 2. Christi libertatem Petrus nec ul-
 lo jure tum defendere tenebatur, & ineptissime defendere ausus est. 3.
 Cyrillus non tantum dicit, motum illum S. Petri longè à perfecta
 virtute constitutum, sed ferventius & crudelius peractum, DEUM
 offendisse

offendisse, frustraneum, à vestigiis Christi alienum, carnalem, evertere conatum fuisse, quantum in ipso fuit, prædestinatam pro vita omnium passionem. Prodit à Conzenius §. 1. cur ita pro Petro disputet, cum ait. *Christus ad exemplum suorum videtur gladios suos permisisse, ne illis auxilium in perpetuum clericos spoliatos putaremus. Petrum n. gladio accinctum & in itinere & in secessu secum habuit, ut minus mirentur heretici, cum Clericos, (Mazzarinos, Trivultios, Aldobrandinos &c. Cardinales & Episcopos) vel ense accinctos, vel armatis comitatos afficiunt.* Altius assurgit Salmeron. l. c. p. 151. col. 1. cum ita scribit: *Non dixit Dominus, projice, vel dimitte gladium, sed repone in vaginam, & post suo tempore utaris, quando sc. ense spiritali convinces mundum confiteri, quod etiam gladius corporeus ad imperium tuum pertinet, quando gloria Christi, aut sponsa ejus, Ecclesie, causa postulaverit. Propterea dixit, gladium tuum, per alios tamen evaginandum.* En *πρωτοκλιση αρετων!* Adhuc altius enititur Didacus de Baeza Pontferradiensis Jesuit. *Comment. in Hist. Evang. Tom. 3. lib. 14. cap. 2. §. 12.* cum inquit: *Christus loquitur ad Petrum, ut fundatorem & conditorem Christiani imperii circa fidelium animas, quasi dicat, generalissimam & verissimam legem latam in omnia mundialia imperia, quæ ubi non habent aliud fundamentum, quam fundamentum gladii & sanguinis effusi, sic tremula sunt, & sub gladio vivunt, & tandem finiuntur. Unde Petrus fundator æterni & duraturi regni non gladios exerat, sed retia laxet, quandoq; retia sanorum sublimitas ejus; non jure belli, sed jure pacis stabilitur & firmatur æternum Ecclesia imperium.* Nihil tale in verbis Christi. Apertissime ergo Petrus h. l. reprehenditur, quod sumserit gladium ad Abusum. Nonne verò consequenter etiam reprehenditur sumptio promiscua gladii ad prociuctum, seu lateris aut femoris tum munitum tum ornamentum? *Gladii gestatio promiscua in nulla unquam republica bene ordinata licita fuit; qua de re prolixè egit Petrus Faber Parisiens. Semestrium lib. 1. cap. 3. Petr. Gregor. Tholosanus syntagm. Juris lib. 47. cap. 14. Casp. Barthius Adversar. lib. 53 cap. 9. Joh. Lorinus in Sapient. Cap. 18. v. 16. & ad Ps. 44. 4 p. 10. Dio Cassius Cocicjanus histor. Romanae lib. 53. p. m. 505. in Cæsare Octavio, refert, cum extra provinciam à se designatis præter nomen propraetorum hoc etiam tribuisse, ut plus quam annum unum essent cum imperio, quatenus videlicet ipse sic statuisset, ut militarem habitum gestarent GLADIUMQUE, & jus capite plectendi militiæ haberent. Neq; n. ulli alii Proconsuli aut Propraetori præfecto licebat GLA-*

B

DIO

DIO se accingere, quo ipso licentia militum adimebatur. Johann. Xiphilinus in epit. Dionis, vit. Domitiani p. 547. Parthenius, inquit, cubicularium ejus magno honore ferendi gladii ab eo affectus est. Herodianus lib. 3. p. 531. maximas dignitates, quibus Severus Imp. Plautianum cumulaverat, enarraturus; Latum, inter cetera, inquit, clavum perpetuo habebat, atq; in secundis consularibus numerabatur. Ensem præterea gestabat, ceteraq; omnia suprema dignitatis insignia. Aelius Lampridius in vita Alexandri Severi p. m. 119. de illo Imperatore. honores, inquit, juri gladii nunquam vendi passus est, dicens, necesse est, ut, qui emit, vendat. Ego non patiar mercatores potestatum, quos si patiar, damnare non possum. Jus ferendi gladii eo tempore militibus tantum dabatur, & quidem tempore expeditionis. Unde cingulum, ex quo ensis dependebat, proprium militum insigne. l. penult. de Milit. test. in p. Et Martialis Parazonio alludens l. 13. epigr. 32. Militiæ decus hoc & grati nomen honoris, Arma tribunitium cingere digna latus. Qua de re P. Greg. Tholosan. lib. 36. c. 26. n. 7. & seqq. & l. 19. c. 5. Charondas apud Tyrios legem tulit, ut si quis conciones cum ferro intrasset, continuo interficeretur. Valet. Maxim. lib. 6. cap. 1. Apparet ex Petronii Arbitri Satyrico, non tantum nemini licuisse moribus Romanis in publico cum gladio incedere, præterquam militibus, sed his etiam concessum fuisse eos, qui milites non essent, tali aliquo cinctos prodire visos exarmare & malo insuper mactare. Adscribam verba seculum etiam nostrum tangentia. Sic loquitur Eu- molpus. Jacent nunc amatores obligati noctibus totis & forsitan mutuis libidinibus attriti derident solitudinem meam. Sed non impune. Nam aut vir ego liberq; non sum, aut noxio sanguine parentabo injuriæ meæ. Hæc locutus gladio latus accingor, & ne infirmitas militiam perderet, largioribus eibus excito vires, mox in publicum profluo, furentiusq; more omnes circum- eo porticus. Sed cum attonito vultu efferatq; nil aliud, quam cadem & sanguinem cogito, frequentiusq; manum ad capulum, quam deoveram, re- fero, notavit me miles, sive ille planus fuit, sive nocturnus grassator, & Quid tu, inquit, commilito, ex qua legione es, aut cujus centuriæ? Cum constanter & centurionem & legionem essem ementitus, Age ergo, inquit ille, in exercitu vestro phœcasti milites ambulanti? Cum deinde vultu atq; ipsa trepidatione mendacium prodidisset, ponere jussit arma & malo cave- re. Despoliatus ergo, in præcipua ultione, retrò ad diversorium tendo, paulatimq; temeritate lassata cæpi grassatoris audaciæ gratias agere. Conf. Joh.

Joh. Petri Lotichii in *Petr. not. univers.* p. 352. Antea vero milites gladium non accinxisse, quam essent exiuri in bellum & pugnatum, docet Aulus Gellius *Noct. Attic. lib. 15. c. 27.* quo tempore instante periculo mortis privilegiatum testamentum militare fieri dicebatur in procinctu. *S. i. Inst. de testam. ordinand.* Hinc Ulpiano *l. unic. x. de bonor. possessione ex testam. militis.* in procinctu versari, idem est, ac pericula militaria experiri. *Quaquam, inquit, distet conditio militum ab iis personis, quas constitutiones principales separant, tamen qui in procinctu versantur, cum eadem pericula experiantur, jura quoque eadem merito sibi vindicant.* De armis, hasta, gladio & similibus disponere, terrenae potestatis esse & si quis sine illius jussu gladium arripuerit & occiderit, eum necandum esse, Canonistae eliciunt *ex cap. 1. caus. 23. quest. 13. in Jure Canonico, de re militari & bello.* Conf. Tholosan. *l. 47. c. 14. n. 2.* Justinianus Augustus Basilidi gloriosissimo magistro sacrorum officiorum mandat *auth. collat. 6. tit. 14. Novella 85. ne arma sinat in privatorum potestate esse.* Hanc, inquit *cap. 3. gubernante nos Deo cogitationem per praesentem sancimus legem, in nulla civitate aut provincia nostrae reipubl. habere licentiam privatos aut alium quempiam arma facere aut vendere, aut quolibet mercari modo.* Et post hoc factum & subtiliter observato a praedictis personis, *licentia penitus nulli dabitur, neque civitates inhabitantibus privatis, neque villas incolentibus rusticis armis uti adversus alterutros, necesseque praesumere & ex hoc plurimos homines occidi &c.* Quicquid igitur sit de consuetudinibus male introductis, antiquissimi juris est & probatissimorum morum, neminem sibi suapte autoritate sumere posse aut debere jus gerendi gladii, sed id dependere vel à Magistratu gladium portante & jus potestatemque armandi obtinente, vel à necessitate. Sicut enim defensio ordinarii Magistratus est, in casu autem necessitatis moderamen inculparum tutelae cuius conceditur, ita etiam gladii gestatio ordinariè ad dispositionem summarum potestatum pertinet; ubi necessitas ingruit, quae nos extra patrocinium Magistratus collocat, cuius licita est. Hinc & gestationem gladii Apostolicam excusat necessitate Cyrillus Patriarcha Alexandr. in *Joh. lib. 11. cap. 35.* Cum, inquit, *ad hortos & loca condensa nocte concubia diverterent, credendum est, illos providisse, ne à feris bestiis laderentur, quae variae in Judaea reperiuntur.* Quod a verba consilii Christi de tunica vendenda & erendo gladio, quae sunt *LUC. 22. 36.*

attinet, illa nequaquam proprie intelligenda esse, sed symbolice & parabolice, late docet Gerhardus *Contin. harmon. Evang. t. 175. p. 283. & seqq.* Unde ad impertinens discipulorum responsum, *Ecce duo gladii hic, v. 38.* etiam Cornel. à Lap. annotat, *Non satiu intellexerunt Apostoli Christi mentem, phrasim ac catachresin. Christus enim non emendos gladios, sed instans periculum significare voluit.* Unde frustra sunt, qui post Bonitacium IIX lib. 1. *Extrav. comm. tit. 8. cap. 1.* spiritualement & materialem Ecclesie gladium datum ex h. l. colligunt, quod tamen fecit præter alios Johann. Svarez ad *Matth. 26.* citante ibi C. à L. Hos perstringit Did. Stella in *Luc. h. l.* cum ait: *Multi in h. l. interpretantur istos duos gladios de spiritualibus Ecclesie gladius, Ecclesiastico sc. & seculari. Sed quia hæc non sunt ad rem, non immoramur in increpatione expositionis adeo huic loco dissonæ & tortæ.* Sunt igitur iudicio Christi *μαχαίαι εὐληπίας* non tantum abutentes gladio ad iniquitatem & vim; quod & facere possunt, qui alias jus gladii gerendi habent; sed etiam, qui gestant in republica pacata sine superiorum consensu, suo arbitrio, *κακοζήλια* seculi, gladium. Sicut enim in aliis præceptis divinis non actus duntaxat externus & immediatus sive ultimus prohibetur, sed quicumque alii antecedentes, qui actui illi causam aut occasionem dare potuerant, ita etiam in interdicto JESU, adhuc sudorem sanguineum spirantis, non tantum sumtio gladii sanguinaria, bellatrix & vulneratrix notata est, sed quæcumque antecedentia, quæ hominem ad illam ultimam promptum facit & instruit. Et quisquis, qui non eximie insanit, iudicare facile potest, eorum interesse, qui rem curant publicam, ne arma ubivis obvia sint, quovis ferantur loco, cuivis inferantur, à quovis ferantur. Qui morbus nisi adeo occupasset militare nostrum seculum, scriptioe hac supersedere potuissemus. Sed postquam milites & qui à militiae gloria gentis suæ imagines illustrent, gladiis passim obviam facti sunt, cerdones, sartores, sutores, lixæ, calonesq; imitatorum pravum pecus, suam adolescentiam hoc modo instruere ausi sunt. Et latius deinceps serpsit æmulatio. Sed quid Dominus JESUS contra *μαχαίαι εὐληπίας* ? Producit severum supplicium. *Gladio*, inquit, peribit, *qui sumit gladium.* Nemo, nisi gladium vindicem experiri

velit

velit, fumere sua autoritate suove arbitrio debet gladium. Con-
stituitur h. l. superioritas vindex *μαχαροληψίας*, Magistratus or-
dinarius. Scilicet, eo modo gladio peribit aut morietur, quo mo-
do Gen. 6. 5. dicitur, sanguis ipsius effunditor, sc. ut Onkelos in *Pa-
raphrasi Chaldaica* habet, *per testes, juxta sententiam judicum*, vel ut
Judxi Mauritanientes vertunt, *ex decreto seu sententia hominis*, apud
Joh. Seldenum *de jure nat. & gent. ad leg. Ebraeor. lib. 4. cap. 1. pag.
460. & seqq.* Augustin. Torniel. *in Annal. V. T. ad A. M. 1657. n. 17. p. 112.*
And. Rivet *in expl. Dec. T. 2. p. 13. 83.* Neque enim gladii acceptio &
usurpatio temporalis alicujus potestatis per hæc verba sublata est.
Considerandum enim subjectum, cui interdicitur acceptio gladii, ex
analogia status Petrini. Privatus is erat nullam vocationem ad justitiæ
administrationem habebat: nulla necessitate urgebatur ad gladii vel ge-
stationem vel usurpationem: magis ex conniventia Magistris, quam exi-
gentia periculi in prociectu erat. Talis omnino ab usu gladii arcendus
est, *Conf. D. G. hard. harm. pass. cap. 4. p. 168. & T. 6. Loc. de Mag. pol. cap.
3. s. 1. n. 69.* Usurpatur autem gladius h. e. potestas vindicatrix vel
suppliciorum capitalium irrogatione, vel bellorum apparatu. Non
enim sunt verba Christi duntaxat prædictio periculi ex usu gladii ori-
turi, uti vult Val. Smalcus *contra 7. disp. Franzii de bon. operib. p. 141.*
*Nulla, inquit, hic fit mentio ejus, cujus opera futurum sit, ut quis gladio
pereat vel occidatur, nempe Magistratus, sed simpliciter tantum affirma-
tur fore, ut is, qui gladium accipit, gladio pereat. Potest autem aliquis
gladio perire, etiamsi eum Magistratus non necet. Et disp. 6. de reb.
civil. p. 390. Christus tantum prædicit, quid ordinariè fiat, si quis gladi-
um accipiat, non verò docet, quid fieri possit vel debeat. Quemadmo-
dum etiam hodie is, qui planè negat, licere aliquem interficere, posses
eum, qui contentiosus est, & ad arma statim provolat, debortari ab ista
levitate hujusmodi argumento. Vide ne des pœnas tuæ levitatis. Nam
ita comparatum est, ut qui arma sumunt, per arma etiam pereant. De-
inde non exprimitur is, per quem perire debeat, qui gladium accipit,
nempe Magistratus, quod affirmat Franzius. Potest autem gladio peri-
re aliquis absq. ulla pœna Magistratus, ut experientia quotidiana testa-
tur. Atqui verò l. Christus proculdubio respexit principaliter eam
vindicationem gladii, quæ ab ipso Deo fundata & in laudatissima*

republ. Israelitica usurpata, imò cœlitus tradita fuit. Talis autem est, quæ fit à superioritate legitima, non tumultuaria & fortuita. Patet prius, quia illam jure antiquissimo constitutam auctoritatem, nuspiam alias reprobavit. II. Christus in eo sensu hanc regulam dehortatoriam concepit, quæ efficax apud S. Petrum esse poterat. At qui prædictio tumultuaria & fortuitæ vindicationis parum efficax apud Petrum esse poterat. Nam etiam qui bene agunt, ultionem aliquando improborum experiuntur. Imò illud periculum tumultuariae vindicationis prævidit Petrus, & tamen usq; deq; habuit. Fuit igitur ad considerationem ordinationis divinæ & superioritatis legitime constitutæ deducendus. III. Christus eo sensu minitatus est ultionem per gladium, qui ipsi Petro persuadere poterat, summionem talem gladii, qualem ille attentavit, esse peccatum. Id enim omnino intendebat Christus, ut Petrum à peccato deterreret. Atqui si de tumultuaria & fortuita ultione, quæ nulla certa auctoritate perficitur, sermo sit Christo, non certus esse poterat Petrus de peccato. Nam eventum illum tumultuariae & fortuitæ vindicationis argumentum certum & indubitatum non esse, quod peccaverit ille, quem ejusmodi eventus obruit, quivis videt. IV. Christus ejusmodi poenam proculdubio indicavit Petro, quæ intra certos terminos subsistit, neq; in infinitum progreditur. Tumultuaria autem & fortuita illa vindicatio intra certos terminos nequaquam subsistit, sed plane in infinitum progreditur. Petrus fuerit tumultuarius & fortuitus vindex Malchi *μαχαιρολήπται*. Fuerit aliquis ex cohorte, qui Petri *μαχαιρολήπται* vindicaverit, quæritur, quis illum, & sic deinceps quis alterum, tertium, quartum, quintum & s. vindicaturus sit? Sic certi deniq; nihil determinatur. *Conf. D. Gerhard. loc. cit. c. 6. s. memb. 2. arti. 3. §. 298.* Omnino ergo h. l. Christus stabilit auctoritatem & superioritatem supplicia irrogantem & punientem, *μαχαιρολήπται*. Vix ergo Lactantius excusabitur, cum *lib. 6. div. Instit. cap. 20.* ait: *Non licet justo accusare quenquam crimine capitali, quia nihil distat, utrum ne ferro, an verbo potius occidas, quoniam ipsa occisio prohibetur.* Stulta etiam est exceptio Christoph. Ostorrodii *Inst. cap. 18. p. 186.* & Smalcii *diff. post. 6. Franzii p. 388.* gladio in genere tantum punitionem, non autem capitalem, denotari, alias secuturum


cururum, quodvis delictum gladio puniendum. Fatemur enim, speciem pro genere accipi, ita tamen, ut ipsa species punitionis, quæ ponitur, non sit illicita. Bellorum, porro apparatus, qui gladium sumunt, hoc est, iniustitia manifesta jura superioritatis violant, coerceri posse & sic gladio destrui, contra Veteres Tertullianum, Origenem, Lactantium & alios incommodius loquentes, Anabaptistas, Socinianos, Wigelianos &c. probat D. Gerhard. l. c. §. 385. Conf. & Sixtum Senensem Biblioth. sanct. lib. 6. annotat. 115. Nostri Salvatoris monitum satis clarè id conficit. In qua enim dispositione divina omnibus gladium illicite sumentibus opponitur, gladius vindex autoritatis & superioritatis publicæ, in illa constituitur bellum. Quid enim est bellum sua natura, quam confertum expeditus & strictus gladius, vindex autoritatis & superioritatis publicæ adversus gladium illicite sumentes. In dispositione autem Salvatoris omnibus gladium illicite sumentibus opponitur ejusmodi gladius &c. E. in illa constituitur & confirmatur bellum. Sed satis de monito Salvatoris explicando. Applicamus illud AD VOS, ô charissima pectora, quorum curam sanctissima juramenti religione in nos suscepimus, qui vicissim nobis eodem vinculo nexi estis, pro quibus nos quotidie ardentissimas ad Deum preces fundimus. Nostis legis, quæ lateri vestro gladium abrogant. Nostis Senatus Academici consulta, & novissimum A. c10 l0c l.r. quo idem decretum est. Noluitis parere. Ausi estis gladiati in publico incedere, in auditoria non erubuitis procincti irumpere, in ipsa templa etiam non veriti estis habitum in vobis reprobatum proferte, & ad thronum gratiæ eo comparere, à quo in ista contumacia pertinaces proculdubio repulsam tulistis. Nostis, quæ olim passi fuerint, qui templis, qui sacrariis, qui principum adytis gladium intulerunt. Seculi hujus mores vos nequam salvabunt. Cum seculo peribitis, nisi ad Deum & VICARIUM, ejus Magistratum respexeritis. Proponite quæso oculis vestris JESUM lacrymas ad Deum Patrem largissimas pro vobis fundentem, JESUM inter ultimas difficultates pro generis nostri redemptione luctantem, JESUM sanguineo sudore totum madentem, & tamen sollicitudines seculi admittentem & manus ad gladium sumendum, audaces

audaces prospicientem. Ne sitis μαχαιολήπαι. Sit votus gladius è latere pendulus exprobrator inobœdientiæ vestræ. Credite, tot SENES, tot doctos, tot pios, tanto consensu, tanto desiderio, folius boni publici amore, rectius judicare posse de vestris emolumentis & decoribus, quam vosmet ipsi corrupto tribunali mentis vestræ judicare potestis. Damnate, quod nulla autoritate, nulla facultate, nullo ordinis decreto possideris. Nos ita legem figimus.

// **QUISQUIS STUDIO RUM SUO LU-**
// **BITU GLADIUM IN PUBLICO GES-**
// **SERIT, TOTIES QUOTIES, GLA-**
// **DII JACTURAM FACITO, AUT DUOS**
// **IMPERIALES SOLUITO ACADE-**
// **MIE FISCO; GRAVIUS MULTA-**
// **TOR, QUISQUIS SACRIS ET AU-**
// **DITORIIS GLADIATUS**
// **SISTITUR.**

Per script. Rostochii A.O.R. clō DC LVI. XXIV,
Jun.





17. Apr. 1954


19. Feb. 1956

14. Nov. 1957

4. 1. 62

29. 11. 62





...rospicientem. Ne sitis μαχαρολήται. Sit vobis gla-
 re pendulus exprobrator inobœdientia vestra. Credite,
 ES, tot doctos, tot pios, tanto consensu, tanto deside-
 is boni publici amore, rectius judicare posse de vestris emo-
 & decoribus, quam vosmet ipsi corrupto tribunali mentis
 dicare potestis. Damnite, quod nulla autoritate, nulla
 , nullo ordinis decreto possideris. Nos ita legem figimus.
QUIS STUDIOSORUM SUO LU-
GLADIUM IN PUBLICO GES-
T, TOTIES QUOTIES, GLA-
ACTURAM FACITO. AUT DUOS
IRIALES SOLUIT. ACADE-
FISCO; GRA. MULTA-
QUISQUIS ET AU-
DITORIIS
 ...cript. Rostock

